



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

### **Theologia Moralis, Seu Resolutio Casuum Conscientiæ**

Juxta Sacram Scripturam, Canones, Et Sanctos Patres

Continens Tractatus de Sacramentis in genere; de Baptismo, de Confirmatione, Eucharistia, Sacrificio Missæ; Constitutionem Innocentii XII. super celebratione Missarum, variaque alia decreta

**Genet, François**

**Parisiis, 1703**

Q. 8. Quinam hujus Sacramenti effectus?

**urn:nbn:de:hbz:466:1-40834**

112 TRACTATUS III.

qua admiserunt, ex animo dolere oporteat. Qua in re elaborandum est, ut peccata etiam prius confiteantur, & Pastorum cohortatione ad jejunia & alia pietatis opera suscipienda incitentur.

Quaest. 8. Quinam sunt effectus hujus Sacramenti?

Resp. Tres sunt hujusmodi effectus: Primus communis aliis Sacramentis est, quod producit augmentum gratiae in suscipiente, modò cum debitis dispositionibus illud suscipiat: ut enim habetur in Canone. *Spiritus-sanctus in fonte Baptismi plenitudinem tribuit ad innocentiam: in Confirmatione augmentum praestat ad gratiam. In Baptismo regeneramur ad vitam, post Baptismum confirmamur ad pugnam. In Baptismo abluimur, post Baptismum roboramur.*

Can. Spiritus-sanctus. De Consecr. dist. 5.

Secundus effectus hujus Sacramenti peculiaris est, quòd perficit gratiam Baptismalem, & corroborat seu confirmat addendo vires spirituales ad tuendam interiùs fidem adversus omnes carnis tentationes, & exteriùs adversus inimicos fidei etiam cum periculo vitæ, ut videtur in Canone mox citato.

Tertius hujus Sacramenti effectus est, quòd imprimat in anima suscipientis characterem spiritualem, & indelebilem, ut definitum est in Concilio Tridentino, sess. 7. Can. 9. Quare, ut ait Gregorius II. relatus in Canone.

Can. De homine. De Consecr. dist. 5.

*De homine qui à Pontifice confirmatus fuerit, denuò illi talis iteratio prohibenda est.*

D. Th. 3. p. q. 72. art. 5. in corp.

In Confirmatione, ait Divus Thomas, accipit homo potestatem ad agendum ea qua pertinent ad pugnam spiritualem contra hostes fidei, sicut patet exemplo Apostolorum, qui antequam plenitudinem Spiritus-sancti acciperent, erant in cœnaculo perseverantes in

De Sacram. Confirm. Cap. IV. 123

oratione; postmodum verò egressi non vereban-  
tur publice fidem fateri, etiam coram inimicis  
fidei Christiana; & ideo manifestum est,  
quod in Sacramento Confirmationis imprimi-  
tur character.

C A P U T I V.

De Ceremoniis Sacramenti Confirma-  
tionis.

Quest. I. **Q**UARE requiritur ut aliquis  
teneat Confirmandum, ipsum-  
que sistat Episcopo?

Resp. Ex Divo Thoma. Dicendum quòd,  
sicut dictum est, hoc Sacramentum exhibetur  
homini ad robur pugnae spiritualis. Sicut au-  
tem aliquis de novo natus indiget instructione  
in iis quae pertinent ad conversationem vita,  
secundum illud Hebr. 12. Patres quidem car-  
nis nostrae habuimus eruditores, & revereba-  
mur eos; ita illi qui assumuntur ad pugnam,  
indigent eruditoribus à quibus instruuntur de  
his quae pertinent ad modum certaminis: &  
ideo in bellis materialibus constituuntur Duces  
& Centuriones per quos alii gubernentur. Et  
propter hoc etiam ille qui accipit hoc Sacra-  
mentum, ab alio tenetur, quasi per alium in  
pugna spirituali erudiendus: similiter quia  
per hoc Sacramentum confertur homini per-  
fectio spiritualis aetatis, sicut dictum est; ideo  
ille qui ad hoc Sacramentum accedit, susten-  
tatur, quasi spiritualiter imbecillis & puer.

Hic autem nota, quod qui non est baptiza-  
tus, vel non Confirmatus, non debet esse sus-  
ceptor in Sacramento Confirmationis; quia  
tenens aliquem ad Confirmationem, tenet